

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * *



- I. Fandner Theologum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-
secratum à M. Zacharia Womerungero.
- II. Casparum conjectio, quibus moti Status Regni Bohemæ ad Novi
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Fidei V. Electi Palatini data.
- IV. ~~Summa~~ Refugior ad Christianum Danic Regem Fran. Angelini.
- V. Soteria Aca demie Witbergensis Johanni Georgio Electi Saxæ salutis.
- VI. Idea Principis Bomi seu Oratio de Vita et Obitu Johannis Georgii Princi-
pis Anhaltini M. Mæci Fidei Wendenini.
- VII. Panegyricus Parentali Rudolpho Principi Anhaltino à Tur. D. Edom.
- VIII. De Vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Heideffam.
- IX. Narratio Ulgoris de Johanni Georgii Principis Anhaltini Vita et Obitu.
- X. Hæredonia Tremisq; Francofurtane D. Cyriaci Heideffam.
- XI. Casparis Romani Euzegtes Christianus de Vita et Morte Georgii
à Sebnaiis.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samueles Desemii.
- XIII. De Aëris Salubritate et Studiorum Commotitate in valle Francim-
mici quædam.
- XIV. De Eræctione, Utrum Literarum Cultorib. pht peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottonis M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De Vita et Morte Joachimi Strasbuzi Wilhelmi Strasbuzi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Ezechachi incho. inere sublata.
- XVIII. Programmæ Publicum Academiae Francofurtensium.
- XIX. Instructio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Heideffam.
- XX. De Ratione Status et Prudentiæ Regnatiæ Martini Alagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianæ de Sehlisen
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Heideffam.

ORATIUNCULA

DE
PESTIBUS

STUDIORUM

PUERILIUM PRIVATIS
SEU DOMESTICIS

facta, inq;

Spectatâ Dnn. Superattendentis, Consulum,

Pastorum, Senatorum, Scholarum, Præceptorum, aliorumq;

Virorum doctissimorum frequentia, memori-

ter pronunciata

â

M. ERNESTO VVULSTORPIO. S. A.

cum Scholæ Berenb. Rectorin Formatorio

primo publicè jam declaratus, Collegio ac

Pueritiæ Scholasticæ præficeretur,

Bernburgi.

A. D. XVI. Cal. Feb.

ANNO

M. DC. XXII.

SERVESTÆ

Impressa per Zachariam Dörfferum.



ORATIUNCULAM HANC

RECTOR

CIVIBUS

Primæ classis Berenburgensis, optimæ
speciei Adolescentibus ac Pueris; Discipulis
suis longè carissimis donat:

DONATIONEM

Iniquiori Judici
purgat.

*Auri fortè sacra fami
Sint quandoq; rebus mille; Et opuscula
Sint cusa aucupium fortè novum sepe pecunia.
At non ulla famem fides
Nuda in Discipulos sentit eam suos;
Dat, privi a studii Pestibus ut precaveant sibi.
Sunt momenta aliis sua,
Cur donent sua: Nasurule, ne labra
Rumpas; ipse domi causam etiam Rector habet suam.*

J. XX. M.



ORATIUN-
CULA

DE

PESTIBUS STUDIORUM

*puerilium privatis seu do-
mesticis.*

Divulsa sunt & varia, Viri admo-
dum Reverendi, Ampliſſ. Conſultiſſ.
Clariſſ. Doctiſſ. Prudentiſſimi, Dnn.
Promotores cum primis venerandi;

Fautores plurimum honorandi; Amici officio-
ſè colendi: Plurima, inquam, ſunt & va-
ria, variis cum ordinibus, vitæ genera, quibus ve-
luti perſonis quibusdam ſummos illos Chora-
gos, Deum atq; Fortunam, in maximâ hac uni-
verſi fabulâ indutos nos voluiſſe Syneſius autor
eſt, Enim verò eſt è Philoſophi mente, vitæ ge-
nus voluptuarium, delicatum, molle: Eſt civi-
le, negotioſum, caſtrenſe: Eſt *Φιλοκερδές*, lucro de-
ditum ac quaſtui: Eſt contemplativum ſeu eru-
ditum.

A 2

*l. i. de Prob.
fol. 77.*

l. ii. Et b. c. 4.

ditum. Compluria plures numerant: Suum
 cuiq; pulcrum. Ordinem alium esse Oecono-
 micum, alium Politicum, alium Ecclesiasti-
 cum, Scholasticum alium, tantum non lippis,
 ut dicitur, notum atq; tonforibus; Et horum
 cuiq; suum esse cum *Ὀυζία ἀραξία*, ecquem fu-
 git? Satis cognitum exploratumq; habent, qui
 fidam privatis juxtà ac publicis rebus operam
 navârunt hæcteng, vigilem earum curam etiam-
 num gerunt. Auguror Equidem, *Rei Dome-
 stica* haud parum incōmodare puerile istud
 patrum matrumque familiâs genus; Conjugia
 clam parentibus, clam tutoribus, præpostere
 inita; Educationem liberorum delicatam; ser-
 vuorum ancillarumq; tractationem incautam;
 frequentem & quotidianam ingluviem, adeoq;
 multiplicem divinorum donorum ac bonorū
 profusionem. Principes *Rerump.* pestes è Ne-
 gelino in promptu est numerare: Dei verbique
 divini contemptum, effrenam juventutis educa-
 tionem, cum abusu bonorum spiritualium, ho-
 rundem abalienationem; factiones ac seditio-
 nes civiles, suspicionem, diffidentiam, discordi-
 am, ambitionem, arrogantiam, insolentiam,
 violentiam, tyrannidem, commodum priva-
 tum, avaritiam, otium, Attalicum victūs & a-
 micūtūs.

*h. de statu
 Ceb. part. 3.*



mictus apparatus; ipsa deniq; bella. Bella quid
 quantumque calamitatum salutis publicæ infe-
 rant, utinam! utinam non experti vos ô Bohe-
 mi, Moravi, Ungari, Lusati, Silesii, Vindelici,
 Aufriaci, Poloni, Hispani, Palatini, Saxones, im-
 mō vos ipsi quoque Anhaltini cives! Equidem,
 ubi rerum testimonia adsunt, verborum nihil
 sum facturus. Hisce tamen rerum p. pestibus,
 si cui liber, per me licet accensere sacrilegam i-
 stam, diisque (nisi & diris ipsis) virisque corda-
 tis ad unum omnibus invisam *Campforum*
 seu trapezitarum seu redivivorum (hujus mo-
 dō fuffuris usquam vixerint unquam) *nequialitvōv* Job. 2. 127
collurviem, piorum annonæ, flagellum: dico
ultimum istum *Diaboli factum*; qui quanto-
 rum sit præterea malorum lerna atque ilion di-
 cere heic nil attinet, ipsa, prō dolor! ipsa rerum
 magistra clarè loquitur, cumque multorum
 execrationibus, suspiria piorum, amantium
 deplorare, quod mutare haud queunt. *Or-*
dini Ecclesiastico quæ officiant, præter eo-
 rum multa, quæ civili & domestico obsuere,
 agnoscimus Diaboli versutiam & odium in ge-
 nus humanum plusquam Vatinianum: Mundi
 perversitatem & malitiam: Doctorum Ecclesiæ
 inscitiam, linguarum ignorantiam, impruden-
 tiam,



tiam, curiositatem, *αἰσχρότητα*, diffensiones, altercationes, negligentiam, inhumanitatem, inhospitalitatem, sordes & si quæ eiusmodi: Doctrinæ impuritatem: Schismata, hæreses, persecutiones, aliæque sexcenta, quæ commemorare longum nimis foret, neq; locus patitur. Dignò monstrasse, sat esto, cõmunia vitæ generum ordinũq; detrimenta. Magna fuere Oeconomix; Reip. majora; Ecclesiæ maxima.

Lips.
Cent. II. Ep.
22.

Atqui Scholarum studiorumq; puerilium, si quæ sunt, ut non pauca sunt, quanta esse putamus? Certè non minora. *Ut enim venena, vinis admixta, medicorum scito, perniciousè & perniciosè quævis corporis membra penetrant:* Sic quemlibet ordinem, non Scholasticum duntaxat, Scholarũ Studiorumq; puerilium pestes. Cumq; *familiarum, rerum, ecclesiarum viva seminaria sint scholæ; studia puerilia, velut semina; plantæ & arbuscula transferenda vel surculi, discipuli: trunci,* quibus inferantur, *varii variis cum vitæ generibus ordines,* fieri certè haud potest, quin nocentium plantarum, arbuscularum malarum, truncorum venenatorum, seminaria & ipsa sint pessima, semina magis venenosa longeq; perniciosiora.

Percurrenti igitur mihi rerum, quibus de sermo



mo hoc loci haberi potuisset, varietatē, magnāq;
animi contentione tantas vitæ generum atq; or-
dinum pestes cōtemplanti, in optione primūm
dubiā, dubiam minimē optionē tandem effecit
dicendi argumentum, sanioris iudicio rationis,
satis pondero sum, inq; sui tractationem suis adeo
abripuit momenti ac superpondiis, ut eius pon-
derandi studio atq; onere nec auditoribus vobis
acceptius, nec mihi ullum jam prius aut gravius,
nec loco huic convenientius, nec studio læ pueri-
tiæ fructuosius magisq; necessarium fortē quic-
quam posse suscipi, forte videretur. Tanta enim
sunt, quæ nunc conor, ut provisus illis & præcau-
tis, vigeant florescantq; cum scholis studia pue-
rilia: In horundem verò perniciem cōcurrenti-
bus iisdem, ac suisq; deq; habitis, protinus emar-
cescant collabascātq; adeo ut ea ne ipsa quidem
Salus, si maximē velit, valeat ab exitio tutari.

Quare ne longiori vos exordio suspensos te-
neam, *de pestibus studiorum puerilium* dicam
quod sentio, salvo cuiusq; iudicio saniori. Vos
oro atq; obsecro, *Auditores optimi*, attentē
bonāq; cum veniā verba mea audiat: Fore mi-
hi persuadeo, ut, nō Hugoni, causam tribus dun-
taxat cancellis circum scribenti, sed pluribus ac
paucioribus informanti, oratoriæ Tyroni adsti-
pulemini.

Propositio.

Ecquæ



Ecquæ igitur & quot sunt, quæ præcipue
¶. 1. Didasc. studiis discipulorum obesse solent? *Tria*, inquit
 » Hugo; *Negligentia, Imprudentia, Fortuna.*
 » *Negligentia est, quando ea, quæ discenda sunt,*
 » *vel prorsus prætermittimus, vel minus studiosè*
 » *discimus. Imprudentia est, quando congru-*
 » *um ordinem in his, quæ discimus, non serva-*
 » *mus. Fortuna est in eventu casuum, si venia-*
 » *turaliter contingente: quando vel paupertate,*
 » *vel infirmitate, vel naturalitate, si ve-*
 » *etiam doctorum raritate à proposito nostro re-*
 » *trahimur. Rectè sanè, Dive Pater, at præ-*
 » *cisè.*

Ratio
 Inscriptio-
 nis seu ti-
 tulli.

Nos obstacula enucleatè visuri, tribus istis,
 & pauciora facimus & plura. Pauciora, quia
pestes studiorum puerilium universim due, pri-
vata & publicæ: Plura, quia singulatim pri-
 vatarum magnus est numerus, publicarum ma-
 jor. Ut autem non ad exactam regulam loqua-
 mur, quæ domi obsunt, angustiori privatarum
 voce placet insignire; ampliori publicarum ver-
 bo, quæ in scholis: quippe quod illis totum pue-
 rilium studiorum corpus perniciosè quidem in-
 firmetur: his exitiosè relaxetur, exanimetur.
 Tandem ergo contra studia puerilia inimi-
 citias

7
citas gerit pestium privatarum agmen tripartitum; *Pueri, Parentes, Pedagogi*. Intestinum protinus molitur bellum ipsa ipsis pueris insita vel potius *innata animi corporisq; pravitas*. Est enim ferro consumens quaedam rubigo per naturam agnata; ligno excedēs caries aut teredo: Sic & animo corporiq; humano pravitas. Id ipsum ipsa sacra pagina docet, *ad nullū*, inquit, *malum non proclives sunt à pueris homines*. Subscribunt Ethnici saniores. Hinc cecinit Propertius.

Unicuiq; dedit vitium natura creato.

Dixit Tullius: *Simul atq; editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo pravitate versamur, ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur*. En hominum hanc, pueris quoq; communem sortem! Homines sunt, humani ab ipsis alienum nihil. *Animus eorum peccati labe est delibutus, infectum corpus tenellum, ut ille nil nisi malum, aut si quando, & fortassis rariùs, boni quid velit, hoc calces jaciat & resistat. Intellectus obstupescit, ut vis iudicii vel certè acrimonia sit nulla: Sin aliqua, tardescit. Voluntas obbrutescit, ut, spretis honestis, mala amplectatur; & quemadmodum ii, qui phre-*

B

nèsi

Studiorum
puerilium
pestes pri-
vatz:

I.

P U E R O
R U M.

Innata pra-
vitas. Lips.
l. de Corp.
cap. 15.

Gen 6: 5: 8:
26

l. 1. Eleg 23.

3. Tuscul.

Lips. Cent.
II. p. 43.

Epist. Cent.
lib. ep. 43.

Cent. ad II.
& Hisp. ep. 15.

nesci laborant, irrident aut verberant suos me-
dicos: Ita puerorum plerique eo stultitia vene-
runt, ut aspirare ad bonam mentem nolint.
Vel: sicut trochos, pilas, pupas & levia rerum
admirantur, securi utilium: sic ad vana sapi-
usculè divertunt, honesta non negligentes so-
lum, sed illudentes. Quod si qui fortè fru-
ctuosa malint aut decentia, ea puerilis sensus
imbecillitas vix sustinere, ingenii angustia vix
comprehendere, cogitationum humilitas vix
potest internoscere.

Horum nonnullos cerebro laborare Comi-
cus verè diceret, cum eos omnium parens na-
tura stupidos adeò effinxerit, ut, noctes licet
atque dies libris assideant, inque studia incum-
bant, procedere velint, laborent, contendant;
Sisyphi tamen saxum nunquam non vol-
vant. Sunt hi hominum ἀπὸ τοῦ αἵματος sunt ligna,
è quibus Mercurius fieri nequit, manentque,
quales fors aspera fecit. Aliis, quod animi con-
cederet robur ac firmitas, corporis denegat
imbecillitas. Etenim modò verminatio-
ne, modò pforà, modò papulis, modò va-
ris, modò ulceribus, modò feбри infestan-
tur, modò alio sunt in morbo, ita ut singu-
lis

lis mensibus Musas vix semel salutare liceat,
eorumq; , ut navis in malaciâ ; sic ingenium
hæreat in languore morbi , cum melior aura
varius adspiret. Itane verò intestinum stu-
diis puerilibus bellum molitur animi corpo-
risque pravitas ! Indicit cum *simulatâ mem-
brorum infirmitate puerorum veternis.*

Lips. Cent.
ad Germ. 13
Gall. ep. 73.

Proteum, narrant, in aquam, in ignem, in fe-
ras, in arbores, in volucres, in serpentes, se ver-
tere solitum, & formas quaslibet assumere po-
tuisse. Mira sanè μεταμορφωσις ! At, si vera est Py-
thagoræ μετεμψύχωσις, ausim contendere, in non-
nullorum corpora puerorum aut eandem Pro-
tei animam demigrasse, aut saltem Protei æmu-
lam. Ita, quomodocûnq; , & quandocûnq; vo-
lupe est, mille morborum formas sibi affingere,
& sanitati, aut potius nequitia lux, imbecillita-
tis appellationem, quæ maximè est contraria,
obtendere, eamq; multis simulationum involu-
cris tegere miri artifices, mirè callent. Exem-
plum capite : Ubi auditioni, aut studiis liberali-
bus aliquantillum est operandum, pusionis
caput nunquid doloris non repente inua-
dit ? Inde videas tergiversantem, audias quiri-
tantem ; ô mea matercula , ô mi patercule !

Simulata
membrorū
infirmitas.
Mythol.
Nat. Com. 1.
8. 6. 8.

ah caput, caput meum quam dolet! Hunc dolorem parum aut nil moratus fortior animi parens, filium, ut libellum assumat discatque, severè jubet, urgere instat. Ecce! confestim ad matrem reditur, clamor intenditur. Quid fit? Nonnunquam ingeminata querimonia emolliendo vincit humana pectora. Rident cum patre matercula, & filioli astutiam equidem derident. Quando verò morbus excusat, infirmus cubitum deducitur, aut si forè pejus habeat, deportatur, aut sodalium colludio committitur, recreandus paululùm & morbo (quoniam mortifer non est) liberandus. Neq; istam medicorum spem frustratur exitus: quinimò statim jam statim salva res est, & melius ægro factum. Quapropter valenti iterum libellus traditur: ohe! nescit volvere, nescit revolvere, nedum ex eo quidpiam discere. Quid? quod

*Torpor jam atq; horror spectantis adobruit
artus,*

Obstupuit, steteruntq; coma, & vox faucibus hæsit.

Exinde prima literarum rudimenta dignoscere, literamque literæ, syllabæ syllabam, voci vocem combinare, quantus hic adolescentulis labor, quantum hoc opus! Legentiũ mox oculi dolent,

dolent, inspectio mox tedium parit, quando-
 que somnum & ipsa lectio. Literas pingere
 quum præmonstrator docuit, aut pingendo
 prævit, aut manum duxit, ipsos vè pueros pin-
 gere iussit, hem! pluma plumbum sit *digitis*,
 à tenellis tractari nescium, istisq; *manibus* la-
 boriosum nimis ac molestū. Est quoq; quando
 è memoria thesauro vel tantillum depromptu-
 ris atque enarraturis *lingua* palato velut ad-
 stricta hærescit, Spiritus tardescit, parumque
 abest, quin, si reliqua perrexerint, cum voce a-
 nimam efflent. Contra, optimè sibi cavere, si-
 bi videntur, qui *pedum* curam habentes, pæ-
 dagogium rarò aut prorsus non accedunt, quip-
 pe ubi nihil opus est, cauti & providi nimium,
 nimiumque solliciti, ut ne tenella adhuc, nec-
 dum indurata satis crura è viâ tam longâ infor-
 tunium ferant: nempe metuentes, ne cœlum
 ruat. Certum enim ipsis & jam dudum per-
 suasum est, bonæ valetudinis non minus, quam
 studiorum habendam esse rationem. Sic eine
 verò his talibus exosus es Apollo, exosa Pallas, ut
 nec visos vos cupiant, nec auditos, nec aditos;
 imposterum quoque ab ipsis, dum suo sic indul-
 serint genio ingenioque, nec videndos, nec ad-
 cundos unquam? Scilicet hi sunt observantissi-



Exod. 23. 12.

mi divini interdicti: *nomen deorum alienorum
ne recordamini quidem: ne auditor in ore tuo.*
Ad summam. Puerorum quàm plurimorum
nec caput, nec oculi, nec aures, nec lingua, nec
manus, nec pes suum in discendo officium facit.

Veternus.

Adig. Eras.

Chil. I. Cér.

IX. adig. 63.

Notissima est fabula de Endymione: Is
erat puer ad primè formosus, ac luna adamatq;
cui quidem illa à Patre Jove precibus impetra-
vit, ut, quicquid optasset, id ferret. Optavit
Endymion, ut perpetuum dormiret somnum,
αθάνατος ὡς ἀχέως μάνωας, immortalis perseverans.
Expers semi. Hodieq; multi sunt Philyp-
ni, nec multum Endymioni absumiles, quibus si
optio daretur, certè tredecim horarum aut som-
num aut nidum calidum eligendo sibi vove-
rent, tantum, ut è pædagogio istis manere in-
tegrum esset, laborum liberis studiorumq; im-
munibus. Cum gliribus facillè certant, quibus,
tantum abest, ut palmam dent victoribus, ut à
victis potius ferre videantur. Fortasse clavam
extorseris è manu Herculis citius, quàm horum
ex oculis somnum. Taceo, quod, dum exper-
gefacti moliuntur, dum comuntur, dum in-
duuntur, annus est. Sunt hæ studiorum pue-
rilium, quas adhuc informavimus, pestes hand
info-

infolita. Ceterum iis vigiles Parentum ac Pædagogorum curæ, si principiis mature obstiterint, de facili medentur; Id quod & facit, ut brevius, quam fortean æquius, decurramus; veniamque mereri hæc possint pueritiæ vitia, possint corrigi errata, delicta enormia nisi admittat ætas provecior.

Hic omnium præcipua in aciem prodit studiorum pueritium pessima pestis, *Dei contemptus, precumq; neglectus*. Sapientiores gentiles operarum suarum ducebât à *Jove principiu*: à *jure* pleriq; nostri pueri; hoc est, quando clarum manè fenestras jamdudum intravit, verbis, verberibus aliquando commoti, tandemq; in lucem è stratis protracti, pro nocturnis angelorum excubiis, pro sanitatis tum corporis tum animi conservatione, pro clementi ab imminetibus periculis asservatione, pro divinâ suorumque protectione atque custodiâ, quam Deo debent, non tribuunt laudem, non honorem, nimirum vel in ipso nido pransuri, & de jusculo accipiendo, quam gratiarum actionis munusculo Creatori offerendo, longè sollicitiores. De precibus altum, altum silentium. Quod si quando vota facere videntur, aut stentoreos sine mente sonos faci-

Precum neglectus.

aut

unt, aut indecôra verborum compendia. Suum plerique opus prorsus illotis, ut ajunt, manibus aggrediuntur, securi illius veriverbii, quod monuit Melanchthon: *Dimidium studii, qui pius orat, habet.* At verò benignitatem divinam in istum precationis neglectum claudi, id verò notius est, quàm ut multis necessum habeam demonstrare. Fuit in acie pestium privatarum frons: Succedit cohors justo & longo ordine, repetitionum intermissus: artium humaniorum fastidium & satieta: ludorum crebritas: alienorum tractandorum lubido: Volatiliam, natatiliam, gressiliam capiendorum alendorumq; cupido.

Repetitionum intermissus.

Artium humaniorum fastidium.

Tempus jam erat, præscriptum hesternum ruminandi, Pædagogum revisendi: verùm, non hæc stomacho arridet ruminatio: similam quàm lectionem ruminari; theatrum, quàm Musæum invisere mavult puer. Chrysippus adeò fertur intentus fuisse suis astutiis Logicis, ut ad mensam etiam fame periturus fuerit, nisi ancilla Melissa cibum in os ingessisset. Ridiculum periculum! De nostris pueris id periculi non est: Chrysippos pauci aut nulli agunt, ideoque nec Melissa ipsi est opus ullâ. Studiis adeò suis non intenti, ægrè horulam chartis immorari amant, nedum

nedum immori. Immò tergum obvertunt li-
 terario ludo, vel ludum vix ingressos ludi & ipsi
 ipsos sollicitos habent. Itaque pædagogio jam
 dimissi, corpus, quod studendo fessum, istis vi-
 debatur, non dico recreatum, sed delectatum,
 abeunt. Hic pilâ palmariâ palmam præ-
 ripit. Ille mirus quidam est in certamine mit-
 tendorum globulorum artifex: Socioque pro-
 vocato, equum, quod dicitur solet, in planiciem
 provocat, planeque sentit, nec alterum esse asi-
 num. Iste vel lapidis ad palum jactu, vel tesse-
 ris, vel conis evertendis numulos lucratur. A-
 lius saltu decertat & Empusæ lusu; alius cursu;
 alius aciculis, alius nucibus. Diversos diversa
 juvant.

Ludorum
 crebritas.

Sunt balneatores, an amphibia, quibus æsta-
 te ranarum placet vita, terræque & mari degen-
 tes, frigidâ corpus lavant. Istius generis per-
 multos olim audivimus natâsse, non enatâsse.
 Sunt, funambulos dicam, an glaciambulos, qui
 hyeme per glaciem volitantes, quid calceis, quid
 tibiis, quid capite fiat, parvi pendunt. Sunt
 aucupes, qui avibus: Sunt piscatores, qui pisci-
 bus captandis: Sunt venatores, qui excitandis
 agitandisque feris: Sunt equites, qui caballis
 exercendis: Sunt sagittarii & ballistarii, qui glo-
 bis

Alienorum
 tractatorum
 libido.

Nataviliu.

C bis



Epif. Cōt. L.
ep. 55 ex
Democrito.
ἐπιφ. β. 1
ἀνιδρυ.

bis ad metā, lignēā ad avem, sagittis torquen-
dis diem perdunt: Et verè perdunt: *πολυτελέτη*
τον enim ἀνάλωμα χρόνου.

Volatiliū.

Nec satis: Multi quandoquidem ipsis ma-
gna hæc creditur esse delectatio, oscines caveæ
inclusos ipso in *φεγγυπέρι* alunt; luscinias, acan-
thides, alaudas, cardueles, cōturnices, frigidil-
las, immò & monedulas, ovum ut ovo, lac la-
cti similius non sit, quàm hæc adulescentulo-
rum, studiis iis, quæ de filio Pater ille Teren-
tianus. Nam & ii ipsi postquam excefferunt
ex ephebis, liberiùs vivendi fuit potestas: nam
anteà quæ scire posses, aut ingenia noscere, dum
etas, metus, magister prohibebant? Quod ple-
rique omnes faciunt adolescentuli, ut animum
ad aliquod studium adjungant, aut equos ale-
re, aut canes ad venandum, aut ad Philoso-
phos: Horum illi nihil egregiè, præter cetera;
student, & tamen omnia hæc mediocriter.
Mediocriter autem? immò verò abundanter &
plus nimio. Usq; adeò, cùm à Philosophiæ stu-
diis discessero, eximios sese in aliis viros præ-
stant, ut faciliè appareat, eos in his ludicris,
quàm in libris multò, multò esse exercitatio-
res! Istæ autem studiorum puerilium pestes
quàm

Andr. AC.
I. Scen. 1.

Gressilium.
Capiendo-
rum aLEN-
dorumq;
Cupido.

quàm sint funestæ, nihil moneo, nihil præterea
adjicio, nisi veriverbium, quod unum omni-
um instar monitorum ac dehortationum esse
potest, quodq; ingenuis pensandum & caven-
dum pueris relinquo; solum adjicio veterum
Germanorum Rhythmum; quem hoc non ne-
mo expressit disticho:

*Insidias volucris, insidias struxisse natanti,
Res fuit haud paucis exitiosa bonis.*

Vidistis mecum, *Auditores optimi*, quibus pe-
stibus adversus studia puerilia pueri ipsi eant pu-
gnatum. Quibus ea oppugnatum parentes; qui-
bus impugnatum Pædagogi jam veniant, porro
quæso videte.

*Dædalus, cum Icaro alas, è cerâ excogita-
tas, humeris aptaret, multis verbis filium mo-
nuit, ne vel sublimiora loca, vel mari nimis
propinqua expeteret, sed mediam quandam
regionis viam servaret, seq; volantem seque-
rentur; verùm, Icarus, que sunt adolescen-
tum ingenia, parùm ea referre ratus, neglectisq;
utilibus ac salubribus admonitionibus, captus
sua vitate volandi, altiora loca expetivit: Qua-
re alis, nimio solis calore liquefactis, in mare
præcepit decidit.*

II.
F A R E N.
T. U. M.

Mythol.
Nat. Com. I.
l. 7. c. 10.

Inopia.

C 2

Com.

Cómentum hoc antiquum verè mihi persuadet, difficulter quenquam altiùs, quàm profuorum parentum forte emergere posse, multosque pueros, mediocri saltem patriorum bonorum, velut alarum, remigio subvectos, ad Parnasi culmen feliciter & velociter advolasse, pluresq; jam esse advolaturos, nisi parentum, quos prævolutantes sequi filiis plerumque contingit, non fineret egestas. Nimirum ita res est: Paternis vel monitis vel adjumentis planè destituti, loca mari propinqua colere, humiliq; repere, id est, humili loco subsistere coguntur, vel coeli fastigium, ausis forsitan furialibus, perituri; & altiùs, quàm quæ suarum est conditio alarum, quandoque evolantes, cælo hoc facilè deturbantur, isti Mundi Oceano immerguntur, submerguntur. Hinc tenuioris conditionis homines, paucos videre est,

----- *quos æquus amarvit*

Juppiter, aut ardes evexit ad æthera virtus.

Sat. 3.

Juvenalis disertis canit hanc in sententiam verbis:

*Haud facile emergūt, quorū virtutibus obstat
Res angusta domi.* - - - - -

*Neg. de fl. A.
in Cih. Part.
h. 6. 4.*

Miramur hoc nomine, & demiramur Socratem, Euripidem, Æschinem, Pindarum, Cleanthem

them seu Phreantem. Plures si qui sunt, non usq; adeo multi sunt.

E contrario: *Divitiæ* quoq; in causâ sunt, quò minus pueri quàm plurimi ad bonam sapientiæ frugem evadant. Siquidem quidam parentum *ἀπιστοι* eò imprudentiæ dicam, an infantiæ devenère, ut filios nolint ad liberalium doctrinarum studia incumbere. Quid ita? quia sunt nobiles, sunt patricii, sunt mercatores, sunt *divites agris, positisq; in scœnore nummis*. Horum bonâ cum pace literas scrutetur, qui velit; ipsorum filiis tamen suppetit, unde commodè agant, agant prudenter; ut in arcâ quorum prudentia nascatur. Scilicet.

Opulentia.

Hor. l. 1. Ser. Sat. 2.

Heic non prætereundum erat ne id quidem, quod orphanos & pupillos haud paucos Musis nuncium remittere jubeat *perfida tutorum quorundam infidelitas* atq; *præmaturus parentum occasus*. Verùm, pergendum ad vivorum negligentiam ac blanditiam.

Obitu præmaturus.

Si quibus parentibus diuturniorem lucis usuram Dei dedit benignitas, neque hi omnes, suos in doctrinâ & disciplinâ Domini æquè bene enutritos curant omnes. Liberis potius, ætate ad discendum & idoneâ satis & maturâ, hoc liberum permittentes, proprio morem gerant animos;

Negligentia.

20
nimo; passique, liberos esse nimis liberos, Præceptoribus formandos ne utiquam tradunt, hoc obtentu, juniores esse, quàm quorum intellectus tanta mysteria (Alphabetum intellige) capere valeat, quamvis jam pridem excefferint annum vel quintum, vel sextum, vel septimum. Ultra id annorum si liberi à studiis detinerentur, malè formido, ne vel ipsa virilis intellectus acrimonia & barba istam parentum stoliditatem convellat, & ad pudorem deturpem. Quos ergo Patres major incelsit aut pudor, aut religio, aut cura, eorum aliqui curæ quidem atque industriae magistri filiolum committunt; at hac statim lege, hoc simul omine, ut, si quid iste deliquerit, coniveat ille: enormiter si peccaverit, istum ille verbis ne duris increpet, virgis ne cædat, immò ne torvum aspiciat; secus sin faxit, odium in se incendit penè Vatinianum, & Pædagogus seu privatus si sit præceptor, domo quoque ejectus, solum cum sole mutet. O blandas filiorum noxas! ô noxias parentum blanditias! Siccinè qualem quisque suam, vel dicam, suam esse voluerit, talis erit? Patrum tamen semper aut plerumque minor est culpa: matrum dementia major. *Patres enim tristium specie servant. Contrà specie dulcium plerumque*

Blanditia.

Lipf. de
Const. c. 8.

cor-

corrumpunt & enervant liberos; qui? matres.
 Filiorum temeritatem contra præceptores
 armant: qui? matres. Animadversionem
 & castigationem suorum iniquè ferunt;
 qui? matres. Expostulationem faciunt;
 qui? matres. Corruptores objurgant; qui?
 matres. *Matres omnes filiis in peccato adjutri-*
ces, auxilio in paternâ (Quidni in præcepto-
 rum quoq;?) *injuriâ esse solent:* Sed, ne in solas
 matres nimium videatur invehi, ad patrû *cu-*
riositatem & incogitantiam se jam nunc con-
 vertit mea oratio.

Ter.
 Heaut. Ab.
 V. Scen. 2.

Tritum est verbum: *Asinus ad lyram.* Et
 aliud: *ne vidit quidem oleum;* Utrumq; dici
 in eos aptum natum, qui temerario & indecoro
 ausu aggrediuntur opificium atq; artem, cujus
 sunt rudes & imperiti. Quàm verò multi inve-
 niuntur patrû, qui oleum sapientiæ & eruditio-
 nis ne viderunt quidem, suos tamen ipsi liberos
 domi erudire conantur, ipsi rudes artiumq; libe-
 raliurn ignari, aut certè ad institutionè non ma-
 gis, quàm asinus ad lyram, apti. Sutor sutoriam;
 faber fabricam; pharmacopola pharmaceu-
 ticen præcipere suis potest: Pharmaceuticen fa-
 ber; fabricam sutor; sutoriam pharmaco-
 pola

Ad. Erasmi.
 Chil. IV. c. 4.
 ad 19. et.
 Chil. I. c. 4.
 ad 35.
 Curiositas.



Eraf. Chil.
i. c. 6. ad.
26.

Incogitan-
tia.

pola non potest: Sin aliquis horum alienam profiteri artem ausit, temereque de eâ pergat pronunciare, quæ vult, audit ea, quæ non vult: Audit, inquam, Appellis illud: *Sutor, ne ultra crepidam*: Audit illud Stratonici: *Faber, ne ultra mallei*: Audit deniq; *Pharmacopola, ne ultra pistillum*. Quocirca rem prudentius agere quidem videntur, qui pædagogis suos instituendos tradunt liberos: sed & incogitanter, qui, quibus, quos committant, animum non advertunt, aut uno abdicatione, modò istum, modò illum institutioni præfectum cupiunt, qui *vé* (verba sunt Plutarchi de puer instit. Latine reddita) *cum seravorum, quos habent, probos, alios rei nauticæ, alios mercaturæ, alios administrationi rei familiaris, alios usuræ exercendæ adhibeant: si quod inveniunt mancipium ebriosum ac gula deditum, & ad omnia inutile negotia, id liberis præficiunt*. Quemadmodum autem incogitata ista & curiosa parentum cura studiis puerilibus nihil prodest: Ita *disciplina*, quam vocant, *domesticæ incuria* inmane quantum obest!



obest. Et deplorandum; esse parentum quos-
 dam tam incuriosos, qui nescio quâ inveteratâ
 opinione fascinati, parvulos non solum securos
 in utramq; aurem dormire, usque eò, dum cla-
 rum mane ambos ipsorum oculos feriat, sed in
 multam meridiei lucem stertere tantisper si-
 nant, dum prandii horam horarium jam indi-
 xit. At quæ, malum, vesania est, si non hæc est?
 Ita hi à primis incunabulis suos veterno assuefa-
 ctos reddunt, nullumque ad diei opus in poste-
 tum non ineptos. Aurora verò, *aurora Mu-
 sis amica!* Alii parentum liberos tandem ali-
 quando expergefatos, pro nocturno præsidio
 Domino laudes dicere vix aliquando jubent;
 parum curantes, legant sui, non legant Biblia;
 Scripturæ dicta ediscant, non ediscant; cantile-
 nas sacras canant, non canant: Et pransuros vel
 pransos; cœnatos vel cœnatos cubitumq; itu-
 ros vix Dominicâ oratiunculam recitare susti-
 nent, securi, quantulâ cum attentione oretur,
 quantulavé pro diurno patrocínio & felici stu-
 diorum successu gratiæ dicantur. Ita hi liberos
 non in doctrinâ & disciplinâ Domini educan-
 tes, insuper insignem precum negligendarum
 contemnendarumque ansam & causam præ-
 bent. Alii parentum sui in diem potius, vivere,
 D nihilq;

Incuria.

Incuria.

Incuria.

Incuria.

nihilq; agere aut tritari, integrum relinquunt. Ita hi liberos ingenuis moribus ac artibus nullis imbuentes, ingentem quoq; ad nequitiam fenestram aperiunt. Alii parentum vultu adeo sunt rigido & truci, adeoq; difficiles, adeo anxii, adeo iracundi, adeo morosi, adeo molesti disciplinae domesticæ exactores, ut, si minimum à studiis secedant parvuli, & vel tantillum delinquant, virgis statim & pugnis; pugnis autem? immo & fustibus probe cœlos curent & obrufos. Ita hi ipsam puerorum mentem obtundentes, efficiunt, ut isti artium humaniorum studia malam incruentem abire jubeant aut saltem cum timore ac tremore discant, quicquid quidem discunt, ambigui semper facti boni, quantumvis boni. Alii parentum pecuniæ tenacissimi suis nec subministrant, unde vel vestim, nedum vestem, nedum libellum papyrum vé emant. Ita & hi rerum agendarum nervos succidentes, efficiunt, ut & isti Musis salutem plurimam. Alii parentum liberis *Φιλομορῆσαι* ne locum quidem ubi studiis liberalibus operentur, cedunt; aut si quidem cedunt, ad meditando discendumq; minus appositum; sordidum sado & inquinatum cedunt, ut Augiæ stabulum & quidvis aliud, quam Thalix delubrum, dixeris rectius. Ita hi parum referre,

Morositas.

Avaritia.

Phrontisterii commo-
di denegatio.

referre, sive inter anserum strepitus, suum grun-
 nitus, porcorum ronchos, equorum hinnitus
 &c. Sive inter Davorum blateronumque mur-
 murationes nec non Corydonū cachinnos, sive
 inter Corybantum victorumque geminatas pul-
 sationes; sive denique in solitudine & silentio de-
 gat Musarum cultor: hi, parum ea referre, opi-
 nantes, ingenuis exercitiis moram inferunt &
 impedimenta. At singulae istae & universae
 quantae, quantae sint studiorum puerilium pe-
 stes, leviter & breviter attigisse sufficiat. Aper-
 tius & prolixius explanare id temporis, tempo-
 ris prohibet angustia.

Ad postremum Pestium Privatarum agmen
 properare, tribusque tantum modo verbis de Pæ-
 dagogis (quo heic nomine privatos intelligo
 præceptores) monere, vestra, *Auditores opti-
 mi*, vestra me jubet attentio.

III.
 PÆDAGO-
 GORUM.

Puerorum ruditati atque ignorantiae priva-
 tam quoque informationem mirum in modum
 succurrere, mentis sanæ nemo, opinor, ibit infi-
 cias. At enim publicis in Palæstris tyrones exer-
 centur sat fideliter. Liberaliter do, quanquam hæ-
 reo, an semper sat fideliter ac feliciter. Immò &
 heic quandoque bonus dormitat Homerus: Et sæ-
 pè Doctor, vel magnâ discentiū frequentiam stipa-

D 2 tus ac



tus ac obrutus, vel tempore exclusus; omnium
 stupiditati occurrere & mederi nequit, sed esto.
 Nunquam non formentur pueri literarum in
 ludis publicis sat fideliter; neutiquam tamen om-
 nines omninò formabuntur sat feliciter; quin
 certum est, quæ proponit præceptor vel fidelis-
 simus, omnia ab omnibus discipulis omni tem-
 pore neq; percipi satis neq; intelligi. Pedagogo
 itaq; & novo animorum morumq; formatore,
 præsertim stupidis istis & rudioribus, opuse-
 rit, qui, quod neq; perceptum neq; intellectum,
 satis fuit, etiam atq; etiam repetat; repetitum,
dis neq; regis explicet; explicatum iterum iterumq;
 animis inculcet. Pulcrum hoc est, maximoq;
 opere conducibile, & fieri haud aliter potest, ni-
 si ut ad bonam perveniat frugem ita formatus
 Puer. Ecquidnam autem hic Pestium latitet!
 Pedagogus interdum, ut est in veteri proverbio,
 à limine duntaxat salutavit literas, artes libera-
 les labiis vix primoribus degustavit. Hic & ipse
 iners, asellus ac rudis erudire alium qui poterit?
 De indoctis rerump. gubernatoribus Socrates
 dicebat, *vehementer absurdum esse, cum artes*
 " *sedentarias nemo profiteatur absq; dedecore,*
 " *qui eas non didicerit: neq; quisquam scrinium*
 " *faciendum docet ei, qui rudis sit ejus officii: ad*
 publi-

III
 ODAGET
 MDCXIII

Inertia:

Erasm. l. 3.
 apoph.

publicos magistratus admitti, qui nunquam
 dederunt operam disciplinis, sine quibus nemo
 potest rectè magistratum gerere: cumq; nemo
 non detestatur sit eum, qui clavo assidet igna-
 rus artis nautica: multò magis detestandos,
 qui remp. capefferent, ignari politica Philoso-
 phia. De rudibus puerorum informatori-
 bus enè dissimili simile! Eos docere velle alios,
 quod ipsi nunquam didicere, artium ignari libe-
 ralium, id verò vehementer non absurdum mo-
 dò, sed pestiferum quoq; studiis puerilibus esse,
 assero. Etenim, quid sperandum certius illo
 Tulliano? Cum parentibus redditi, deinde ma-
 gistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur
 (nos parvuli) erroribus, ut vanitati veritas
 & opinioni confirmat & natura ipsa cedat. Aptè
 in istos quadrabit effatum Christi: Coeci
 sunt, duces cæcorum: quòd si cæcus cæcum du-
 xerit, præceps uterq; in foveam cadunt. Casum
 hunc averit Pædagogus, qui majori artium &
 disciplinarum scientiâ pollet, verbo, literatus:
 nisi si quando est piger simul & rusticus & im-
 portunus & imprudens. Imprudentem dico
 Pædagogum, qui parvulos integram docet vo-
 cem

D 3

Importu-
nitas.

Pigritia-
Rusticitas.

Erasm. 3.
apoph.

cem prius, quàm Syllabam, quàm literas: prius
lectionem, quàm literarum syllabarumq; com-
binationem: prius Plauti ac Terentii Comæ-
dias, quàm Donati declinationes, conjugatio-
nes, & cetera. *Importunum* dico, ira cuius
atq; intemperies

Fulmina pro monitis, pro verbis verbera spirat.

Pigrum dico, qui, quod suarum est par-
tium, oscitanter facit. *Rusticum* dico, qui
moribus ad eò est agrestibus & incompositis, ut
videatur nò in aulâ natus, sed in caulâ, eoq; vene-
rabile morum & virtutis exemplum parvulis
nequeat esse. De hisce talibus, advertite, quid

rursum Socrates: *Optimè natis, ingenuisq;*
 “ *potissimum, adhibenda recta institutio. Idem*
 “ *enim in his usu venit, quod in equis, in quibus*
 “ *qui feroces sunt ac generose indolis, si statim à*
 “ *primis annis rectè informantur, egregii, & ad*
 “ *omnem usum accommodi evadunt: Sin minus,*
 “ *efferati, intractabiles, & ad nihil utiles, sic fit, ut*
 “ *felicissima quæq; ingenia corrumpantur in scitiâ*
 “ *(adde pigritiâ, imprudèciam importunitatè,*
 “ *rusticitatem) instituetium, qui, quòd erectis ac*
 “ *liberis imperare nesciant, mox equos vertunt in*
 “ *asinos.*



asinos. Ita sanè est. Apage te ergò cum Pæda-
gogis istis & ipsis asinis. Ad rem redeo. Verùm,
quis hominum omnes omnium puerilium stu-
diorum Pestes privatas, tantillo temporis spa-
cio, eloqueretur & dignè pertractaret? Non
Ego,

Non, mihi si lingua centum sint, orag² centū, Vir. Georg.
Ferrea vox. 3. Ans. 6.

Earum principes tantum nominasse, sapienti sat
dictum. Restat de publicis. Ecce autem! duas
istas hacce unâ oratiunculâ molienti obstat, mo-
dumq; & silentium, quantumvis invito meisq;
in gratiis, imponit fertilissima rerum dicenda-
rum seges ac materia. Idcirco publicas studio-
rum puerilium Pestes in aliud tempus reserva-
turus, de Privatis quoq; nunc finem facio.

Produxi hæctenus vestrum in conspectum,
Auditores Optimi, Privatas studiorum pueri-
lium Pestes, earumq; agmen tripartitum. Illic
suis pugnatum ivere armis **P U E R I**: Istic suis
oppugnatum **P A R E N T E S**: Hic suis impu-
gnatum **P Æ D A G O G I**. Congressum vidit
attentio. Auguretür jam nunc candidum judi-
cium de periculo, quod tanta tantorum hosti-
tium turmæ ac cohortes studiis intendent puerili-
bus. Equidem, quod excubitoris est & bucci-
nato-



natoris, faciam: Indico & inclamo: ad arma,
ad arma; Inimicus adest. Vos, quod provido-
rum est imperatorum & ducum belli, facitote,
pro suâ quisq; personâ contrâ audentiores ite-
ac rem subsidij firmatam instruite: periculum
amolimini: ab instanti vestros defendite. Equi-
dem iterum indico & inclamo:

Heroes pugnate, viri fortissimi ad arma

Accelerate manus, hostem de finibus istis

Propulsate: tonant bombardæ, tympana

clangunt. (Ses)

Hostis adest, armis opus est, concurrite in ho-

Hastis hos, gladius hos sternite, cedite stratos:

Multiplici sclopet a globo fit victor in hostem.

Sic inimicis de victis, victoria vobis (umph)

Cedet, honor, cum prædâ, gloria famatri-

D I X I

Sed quid dixi?

Puerilia forteân de pueris dixi: Magnis ma-
gna, fas est & reliquum, dicam.

GRATIARUM ACTIO.

ad
ILLUSTRE CONSILIUM:

Cum non ita pridem à Consilio, de novo
Scholæ hujus designando Rectore, suscepto,
punctum



91
punctum omne, quod est proverbium, tenuitas mea tulerit, eamque *Consilium Districtus* *bujus illustris Illustris* tantæ vix parem administrandæ provinciæ, præfectam voluerit, Equidem & duram provinciæ, cui præficio, molè ac conditionem facillè prævideo, & benevolentissimum Consilii Illustris erga me affectum agnosco. Quò tamen divina me fata trahunt retrahuntque, secutus, Spartam, quam nactus sum, (Deo conatibus favente, & superiorum salubribus Consiliis succurrentibus, collegisq; fidam ac indefessam operam subministrantibus) pro viribus ornare annitar, cetera non multum moratus de laboribus scholasticis sinistra judicia, quæ nihil ad Parmenonis suem. Ita Paulo plantate, rigante Apollo, Deus dabit incrementum. Sed neq; beneficiorum adeò sum immemor acceptorum, ut illustri Consilio multum hoc me nomine debere, prolixè non fatear: Imparem tantum referendæ gratiæ me agnosco. Tantam igitur Illustri consilio, gratiam habeo, & submissè ago, quantam animus quidem gratus concipere potest. Majorem, si quam debeo, eloqui nõ possum: ideoq; quæ possum & debeo, nuncupo vota: *Floreat cum Rutâ Anhaltina* *Aula Bernburgica! Vigeat Consilium Illustris,*

E

no-



32
nostrisq; studiis, ut facit faueat!

GRATIARUM ACTIO.

AUDITORES.

Advos mihi jam sermo est, quotquot præsen-
tes hucce oculis usurpo, *Reuerendum admodum*
ac Clarissimū Dn. Superintendentem & ceteros
Dominos, Pastores, Consules, Senatores, Iudicē
Inspectores & Moderatores, ciues, hospites &c.
Viros omnium ordinū ac dignitatum optimos.
Vobis quoq; quod solemni huic Actui interes-
se, eumq; spectatā vestrā præsentia ornare & au-
gere; mihi vero balbutienti potius, quàm dicēti
tam prolixam aurium patientiam commodare
haud gravati fueritis, gratias agimus maximas.
De me nihil, cum à gratā eximie istius humani-
tatis prædicatione discessero, habeo polliceri, ni-
si observantiam, officia, studia, fidem.

V O T U M.

Quod superest, si quid super est, huic Reip.
pacem; Ecclesie halcyonium; Scholæ incrementum.
*Universis & singulis Vobis felicem No-
vi Anni ingressum; feliciter pro gressum;*
egressum felicissimum animitus
apprecando, desino, &c.

Ad



Ad Dn. M. Ernestum VVulstorpium,

de pestibus studiorum puerilium per-
orantem.

Insanientem quando puertiam,
Erneste, doctis artibus expolis,
Ludiq; sortem, & tot labores,
Opprobria & varia experiris:

En mox recenses damna gravissima,
Pestesq; diras, quæ inficiunt novum
Musarum alumnum, & candidato
Aoniæ officiunt catervæ.

Et vera profers; sint licet omnibus,
Effata non hæc grata parentibus,
Quid delicatè semper optant
Institui sobolem ferocem.

Illi necesse est *robur & astriplex*,
Sit corda circa, qui pueros feros,
Hoc sæculo vult erudire,
Et monitis cicurare blandis.

Audax juvenus, nequitiaæ seges,
Audax juvenus, per vetitum nefas

E 2

Quare



Quare ruis? quare resistis?
Dulce monentibus heu! magistris!

fac.

M. Martinus Cramerus Serv.
Scholæ Patriæ Corrector.



AD

Humanitate, Doctrinâ & Virtute præ-
stantissimum Virum

DN. M. ERNESTUM VVULSTORPIUM,
Scholæ Bernburgensis vocatum RECTOREM,
Amicum intimum.

Est tenui quondam mea cûi gratata **MAGISTRUM**
Quem Viadrina dabit, carmine Musa novum:
RECTOREM hæc eadem merito gratatur eidem:
Jam, sibi Bernburgi quem Schola culta petit.
Sed quia consistit numerò perfectio trinò.
Optuma, perfectum fac mihi cedat opus.
Adclamare novo me scilicet effice **SPONSOR**,
Tuq; brevi præstes mi, dabo; forsan idem.

GRA-

GRATULATIO.

Sic ergò, **VVULSTORPI**, & tuæ datur sceptrum
Dextræ, superbum non Ulyssicum sceptrum,
Nec quale fertur inclutus Mycenarum
Gessisse Ductor, Magnus aut Alexander;
Sed quale ritè traditum à Magistratu
DEO que, mergitur secans arenosum
Quà litus Albis Milda, nuper accepit,
Quem Patria una, quem pares juventutis
Mores, novenarum pares voluptates
Tibi Sororum conjugare sincerò
Quondam insolubiliq; amore, **FLEMINGUS**.

Laboriosum nempe pubis, abjectum
Spretumq; vulgi splendido cavillantis
Vanoq; luxui, malæq; multorum
Persæpe lingvæ, schema, proh dolor! docti
Gestare quos delectat, infecutura
Auctor calumniæ ratissimus, certus
Ingratitudinisq; sponsor, invisus
Custos juventuti sed utilis, factis
Olimq; jucundum viris juvamentum.

Congratulabor ergò, doctè **VVULSTORPI**,
Tibine honores hosce non honoratos,



An labra comprimam, siloq; de poffo
Meam Mifer flebo tuamq; fortunam?

Vox plebis hæc eft, hæc opinio blenni

Cum Hippiente de calore dicentis

Et (liberale cum nihil fciat bardus

Et vappa, doctis ad fidens fed effatis

Nuces edat, vel capret ore diftorto

Mufcas, iners velludat orbibus, culerò

Cæletvé, fabulasvé cogitet) doctas

Ac liberales mavolentis extremos

Artes ad Indos & fcholas relegatas.

Quid eruditi iudicent fed, & fanæ

Quid Candidati mentis, improbæ explosæ

Turpi loquacitate plebis, attendas

Mandata fanè cura cui iuventutis

Eft, Patriæ totius ille Thefaurum

Ad fcrvat ingentem, ruina neglectò

Quo curiis quo lacrumofa Suggestis

Impendet, & manes fuos Honeftas &

Paffura Virtus eft & Ars, & indignò

Cafurus orbis univerfus in fatò.

Quis nunc amabò vile iudicet fceptrum

Hoc, fcepra quo Regum regi & Tyrannorum

Prudenter edocentur? ecquis inflatis


Nunc

Nunc pergat æstimare stultus ampullis
Parvi labores, quos graves laboramus?
Tu macte VVULSTORPI novô novam sceptrô
Sortite regnum, prosperè que rectoram
Attolle dextram, subditis tuis salvus
Carusq; RECTOR præside, nec ingenti
Fractus laborum mole cede, curarum
Quamcunq; vim solerte vince conatu
Semper, feremus à DE o brabeorum
Toreuma, quod malo nequimus à mundo.

Tuus

JOACHIMUS FLEMINGUS
Scholæ Dessanæ
RECTOR.





In hoc pergit etiam huiusmodi

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam


etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam

etiam labores quosdam etiam







Nh 122




ULB Halle 3
002 714 272




st

1017







XIV 23

NCULA

B u s

ORUM

PRIVATIS

STICIS

q;

ndentis, Consulum,

um, Praeceptorum, aliorumq;

quentia, memori-

ata

LSTORPIO.S.A.

Storin Formatorio

atus, Collegio ac

praficeretur,

al. Feb.

XII-

Æ

am Dörfferum.